



1766.

1. Bostell, Friedericus Jacobus Victoricus, de: De origine renunciationum filiarum illustrium ex diplomatibus mediæ ævi.
2. Hert, Johann Gottfried: De immunitate ad opus, ab obligatione reparationis viarum publicarum non exca-
sante.
3. Koch, Fr. Christoph: De mercedibus in commissionem datis.
- 4^{to} Koch, Fr. Christoph: De liberis heredibus suis ad pro-
bationem abstentionis non obligatis.
- 5^{to} Kortholtz, Franciscus Faustus: De eo, quod justum
est circa conditionem, quam testator inserere desi-
navit neque tamen inseruit.
6. Rotberg, Wilhelmus Christianus: De justa reversionis stan-
dentiarum camerarum restrictione

1767.

1. Matthiowitz, Johann Thomas: De fundamentis proae-
judiciorum

1767.

2. Wallacher, Gerhardus Matthaeus: De jure circa sacra
civitatum imperii jam ante pacem religiosam

1768.

Kortholtus, Franc. test.: De pactis dotalibus secundum
jus commune et salubrem Francofurtensium consuetudinem

1769.

Kortholtus, Franc. test.: De advocacia literarum J. R. J.
civitatum monastica

1770

1. Adelphi, Francus Georgius: De successione conjugum
mutua sive de portione conjugum statutarie jura
ordinationem provinciam Salmensem. pars II. tit. 28.

2. Kortholtus, Franc. testus: De anno secretorio 1124,
quatenus in collegio episcoporum praecipue in libere
imperii republica Francofurtensi conveniat?

o
u
J.
m
28
4
w

CHRISTINE
KONIG



1767

1. Kellerei, Johann Christian, 10. Januar 1767
Kellerei Johann Christian, 10. Januar 1767

1768

Kellerei Johann Christian, 10. Januar 1768
Kellerei Johann Christian, 10. Januar 1768

1769

Kellerei Johann Christian, 10. Januar 1769
Kellerei Johann Christian, 10. Januar 1769

1770

Kellerei Johann Christian, 10. Januar 1770
Kellerei Johann Christian, 10. Januar 1770

1771

Kellerei Johann Christian, 10. Januar 1771
Kellerei Johann Christian, 10. Januar 1771

1767
1768
1769
1770
1771
1772
1773
1774
1775
1776
1777
1778
1779
1780
1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800



DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE

ORIGINE
RENUNCIATIONVM
FILIARVM ILLVSTRIVM
EX DIPLOMATIBVS MEDII Aevi
ERVTA

QVAM
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
INDVLTV
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN ALMA LVDOVICIANA
SINE PRAESIDE
PRO
DIGNITATE DOCTORALI
RITE CONSEQVENDA

DIE XXX. DECEMBRIS MDCCLXVI.

PVBLCIE DEFENDET

A V C T O R

FRIEDERICVS IACOBVS DIETERICVS DE BOSTELL
WETZLARIENSIS.

GISSAE
EX OFFICINA BRAVNIA.

DISERTATIO IURIDICA

ORIGINE
RENUNCIATIONVM
FILIARVM HIRSAVIUM
EX DIPLOMATIVS MICH. A. V.
CRATA

Cel. WOLFIVS in praefatione ad Pevill. L. B. de CRAMER
Diff. de Pacto hered. renunc. filiae nobilis.

Cum Origo horum pactorum in eo, quod circa
ipsa iustum est, momentum trahat, ex fonti-
bus historicis eruenda erat.

RITE CONSIDERANDA
DIE XXX. APRILIS MDCCLXXV.
VILLAE BIEBERET.

FREDERICVS JACOVS HIRSAVIVS
VET. IURISCONSULTVS

GLISSA
EX OFFICINA HIRSAVIENSIS





PROEMIUM.



Si vnquam iuris Germanici negotium casuum celeberrimorum frequentia notatu dignum, Doctorumque in eo sensus intricatum reddidit, omni iure huc referri meretur filiarum illustrium

renunciatio.

Frequentiores etiam quam hoc negotium commentatores inuenit nullum, qui que perfelici partim successu illud pertractarunt. Cui igitur hocce meum de origine

A

gine



gine renunciacionum filiarum illustrium tentamen-
tum temerarium non videbitur, cum in hac materia
solidissime exarata scripta inter omnium manus ver-
fantur? Multoque magis temerarium videbitur,
dum ab Excellentissimis Iurisconsultis, GVNDLIN-
GIUM *a)* BOEHMERVM *b)* LVDWIGIVM *c)*
L. B. de CRAMER *d)* L. B. de SENCKENBERG *e)* &
PÜT-

a) de *Renunciacione hereditatis filiarum illustrium*. Halae
1729.

b) de *fundamento pactorum Familiae ad Fideicommissum in-
clinantium*, Halae 1730.

c) in *consiliis Halensibus*. Tom. 1. Libr. 2. Conf. 124. &
125. Halae 1724.

d) de *pacto hereditario renunciatio filiae nobilis*. Marpurgi
1731.

IDEM de *Pacto filiae nobilis hereditatis renunciatae reser-
uatio*. Marpurgi 1734.

IDEM de *Renunciacionibus filiarum clausulis successio-
nariis earumque valore*. Marpurgi 1736.

IDEM de *filia nobili vi consuetudinis vel pacti familiae renun-
ciante*. Marp.

e) de *successione filiarum in regnis & principatibus*. Goer-
ting. 1736. recusa Gieslæ cum *praefatione Licentiatæ
BENECKE de renunciacionibus & pactis reseruatiuis*. Gies-
læ 1741.

IDEM *Disquisitio ulterioi occasione successio-
nis Hanoicæ de iure succedendi proximioris foeminae illustris prae-
remotiore*. Darmst. 1737.

IDEM, in *Meditationibus Iuris uniuersi*, Fasciculo 2.
Med. 7.



pü TTERVM *f*) puto, iam exhaustam, vt videri possët, materiam iuuenili meo labore altius perscrutari conor. Sed propositum meum declarando, facile ab hisce me liberari possë obiectionibus, equidem credo. Neque enim aliam, quam supradicti illi Iuriscönsulti monstrarunt viam, ingredi mihi animus est. Nec motum in hac materia inter celeberrimos illos Viros dissensum, hisce meis obseruationibus decidere ausim; sed nouis tantum illorum theses munire probationibus atque ea, quae de origine renunciationum filiarum illustrium haëtenus ab aliis dicta sunt, certiora reddere, propositum mihi est. Ad obtinendum hunc finem, elegi tutissimum quidem, sed expeditu molestissimum modum. Quotquot enim inspicere mihi contigit Diplomatum collectiones *g*), euolui, & ex iis, quaecunque de Renunciationibus filiarum illustrium agentia inuenire potui, diplomata summa industria collegi. Ex collectis, tanquam ex certissimis & indubitatis fontibus, originem huius negotii explicare, allaborauit *h*). Verum felici effectu haud destitutum fuerit hoc meum conamen, Lectori bene-

A 2

ne-

- f*) de iure foeminarum adspirandi ad fideicommissa familiae & de earum renunciatione &c. Marp. 1745.
g) BARINGIUS in *Clave Diplomatica* p. 69. & seqq. exactissimum illarum Catalogum exhibet.
h) Digna hic, vt verbotenus apponatur, mihi visa est ALTAMONTII (HOMBERGKII) de hac origine sententia



neuolo diiudicandum relinquo, quem, vt aequi bonique consulat iuuenilem inter studia academica confectum laborem, enixe rogitō.

CAPVT

tia, qui in seiner kurzgefaßten Nachricht von den Verzichtten der Hessischen Prinzessin §. 1. & 2. apud L. B. de SENCKENBERG in *Medit.* fasc. 4. m. 3. ita scribit.

„ Die Materie von den Verzichtten der Töchter des hohen
 „ sowohl als niedern Adels ist blos deutschen hergebracht
 „ Rechts, und dabero keine Sache, welche mit Circul-
 „ Schliessen ausgemacht, oder aus dem Gemenge der alten
 „ Rechts Lehrs verfochten werden kann; - - Wer also
 „ von diesen Verzichtten deutlich und ausführlichen Begriff
 „ haben oder darinnen etwas deduciren will, der muß vor
 „ allen Dingen die ältesten und ersten Verzicht-Notuln aus
 „ den Archiven einsehen und gebrauchen, weil diese der
 „ beste Bebelff sind, bey dieser illustren Materie, ein be-
 „ höriges Licht zu überkommen, wie es in den mittlern
 „ Zeiten deßfalls gehalten worden. Und ob es gleich in
 „ solchen Special-Materien, aus leicht begreiflichen Vrsach-
 „ en schwebt fällt, solche ganz vollständig zur Hand zu
 „ bringen; So ist doch schon ein solcher Anfang mit Her-
 „ ausgebung der hiervon Sprechenden Urkunden in den
 „ öffentlichen Sammlungen gemacht worden, daß mit weit
 „ mehrern Bestand durch die Gleichheit der vielen Parti-
 „ cular-Fällen, ganz andere und solidere Principia, als
 „ vorhero von der durchgehenden Beschaffenheit der Ver-
 „ zichten in den ältesten Fürstlich- und Gräfflichen Häusern
 „ aufgestellt werden können.





CAPVT I.

DE ORIGINE NEGOTII ALICVIUS CONSVETVDINE INTRODVCTI INVESTIGANDA.

§. I.

QVAE DIFFERENTIA SIT INTER ORIGINEM NEGOTII
ALICVIUS GERMANICI LEGE AVT CONSVETV-
DINE INTRODVCTI.

Negotia *Iuris Germanici* hodiernum vſita-
ta, aut lege *exprefſa* aut *conſuetudine*
introducſta ſunt. In iis quae lege *ex-
preſſa* introducſta ſunt, ratione origi-
nis nihil fere conſiderandum eſt, quam quod *occa-
ſionem*



tionem legi dederit, & quae huiusmodi generis alia sunt. Quod ad ea autem attinet, quae *consuetudini* existentiam debent, negotia, maioris momenti sunt, quae de origine illorum dicenda veniunt. Cum nostrum, de quo hic sermo est, negotium, mera consuetudine in *Germania* introductum sit, mitto illa, quae de origine negotii alicuius lege *expressa* introducti afferenda essent, & sequentibus §graphis ad ea me conuerto, quae circa negotii *consuetudine* introducti originem inuestigandam consideranda veniunt.

§. II.

DE ORIGINE NEGOTII ALICUIUS CONSVETVDINE INTRODVCTI INVESTIGANDA.

Cui, negotii alicuius *consuetudine* introducti, originem inuestigandi animus est, duo praecipue consideranda habet;

1.) vt in *antiquissimum* negotii illius *actum*, *casum* vocare solent Icti, sollicitè inquirat, tempusque eiusdem, quanta fieri potest, certitudine determinet; Qua praeyudiciali quaestione decisa;

2.) Altera, quid occasionem illi negotio dedit? eo facilius definiri poterit; Nam si certo constat, hoc vel illo anno primum tale negotium peractum esse, haud difficile erit, ex circumstantiis & aliis illius temporis determinationibus id, quod negotio



gotio primam occasionem dederit, eruere a), Quod si autem, aetas & origo negotii, suspensos nos adhuc detineat, quomodo de prima illius occasione certi aliquid adfirmare valemus? Proxime sequentibus igitur paragraphis media proponam, quibus *primus negotii alicuius actus* perquiri potest.

§. III.

DE PRIMO NEGOTII ALICUIUS CONSVETVDINE
INTRODVCTI ACTV INVESTIGANDO
IN GENERE.

Primum negotii alicuius *consuetudine* introducti *actum* indagare cupienti meliora, ad id perueniendi, media praesto haud sunt, quam perlustratio scriptorum coaeuorum aut antiquissimorum, quibus negotium illud litteris mandari coepit, diplomatum. Quod ab utroque tutissimum & optimum sit, mihi nondum liquet, suis quodlibet non destituitur commodis

a) Quam vtilissima interdum sit de primo negotii alicuius actu notitia vel ex hoc exemplo perspici potest. Communis fere omnium sententia fuit, renunciaciones filiarum illustrium saeculo demum XIV. & XV. ortas esse. Chronologice secundum hanc Renunciacionis aetatem possibile erat, vt cap. 2. de Pactis in 6to An. 1299 publicatum, illis originem dederit. Quod autem chronologice impossibile sit, si de A. 1214. Instrumentum Renunciacionis producitur. (§. 15.)



modis, suis utrumque premitur difficultatibus, neutrum ab omni parte beatum est. Breuibus igitur, quid de utriusque praestantia sentiendum sit, expediamus.

§. IV.

DE MODO PER SCRIPTORES COAEVOS INVENIENDI
PRIMUM NEGOTII ALICUIUS ACTVM.

Quam certissima alias, ex *diplomatibus* depromta, probatio fit, hic tamen loci, alter ex *scriptoribus coaeuis primum* negotii alicuius *actum* eruendi modus, multum priori praestat. Quid enim certius de *primo* negotii alicuius *actu* dici potest, quam allegando *scriptorem coaeuum*, qui hoc vel illo anno *primum* illud peractum esse dicit? Sed sollicitè in fidem scriptoris illius inquirendum est, ne praecipuo suo fundamento haec destituatur probatio.

§. V.

DE MODO INVENIENDI PRIMUM NEGOTII ALICUIUS
ACTVM PER DIPLOMATA.

Dixi iam, tutissimam alias esse per *diplomata* probationem, nec hoc etiam loco valori probationis illius aliquid detraherem, nisi plane diversa esset a vulgari illo per diplomata probandi modo, hic instituenda probatio. *Directo* enim, hunc vel illum negotii alicuius actum, quem diploma aliquod loquitur,

tur, *primum* esse, diplomate illo non probatur, sed id per *indirectum* tantum evinci potest. Quod enim antiquius, similem negotii illius actum continens, instrumentum inueniri non potuerit, ex eo haud temere colligimus, inuentum illud instrumentum, quo antiquius adhuc non est repertum, etiam *primum* illius negotii actum referre. Eiusmodi vero instrumentum, licet indubitatum de antiquo illo negotii actu testimonium praebeat; tamen, nullum, illo priorem, actum existisse *directo* non probat. Antiquiora enim similis negotii adhuc existare possunt diplomata; quae solertissimorum perquisitorum oculos subtrufferunt & adhuc in occulto iacent, aut flammis alioue casu deleta sunt; imo etiam origo negotii in illa incidere potest tempora, ubi, litteris eiusmodi negotia mandare, frequens & vsitatum nondum erat.

§. VI.


EXEMPLO ILLUSTRATUR, QVOD PARAGRAPHO ANTECEDENTE TRADITVM EST.

Exemplo rem proponam, quo facilius intelligi possit. Antiquiorem quam de anno 1086. contractum matrimonialem in instrumentum redactum inuenire non potui^a). Nisi nunc aliunde iam indubitate

B

con-

a) Exstat hoc diploma in MARTENII *veterum Script.* & *Monument. Collectione.* T. I. p. 518.



constaret, matrimonia longe antiquioris esse originis, ex eo concluderemus, Anno 1086, primum matrimonium esse peractum. Vides igitur quam lubricus sit hic probandi modus, nisi aliis suffultus sit administrandis, quæ autem pro natura negotii, cuius origo investiganda, admodum variant.

§. VII.

QVOD OCCASIONEM DEDERIT NEGOTIO CONSVE-
TUDINE INTRODVCTO.

Absolutis paragraphis præcedentibus, quæ ad inuestigandum primum negotii alicuius actum pertinent, nunc ad ea venio, quæ *occasionem* illi præbuerunt. Sed ad Theses generales hæc ideo reduci haud possunt, quia pro natura cuiusque negotii admodum differunt. Temporis enim, quo negotium aliquod in usum venit, negotiique ipsius circumstantiæ & determinationes in quolibet diversæ sunt negotio. Missis igitur generalibus, quæ de occasione negotii alicuius *consuetudine* introducti hoc loco adhuc proferri potuissent, ad specialem Thematæ tractationem me converto.



CAPVT



CAPVT II.

DE ORIGINE RENVNCIATIONVM
FILIARVM ILLVSTRIVM.

S E C T I O I.

GENERALIA DE HAC ORIGINE.

§. VIII.

SCRIPTORES DE ORIGINE RENVNCIATIONVM
FILIARVM ILLVSTRIVM AGENTES.

Inter praecipuos, qui de origine Renunciationum
filiarum illustrium scripserunt, nomino

1.) à GETRAG *in einer von Loeblicher Juristen-
Facultaet zu Halle approbirter Deduction von der Rit-
terschafftlichen Toechtern praetendirten Erbrecht anno
1696. a)*

2.) GVNDLING *de Renunciacione hereditatis fi-
liarum illustrium, Halae 1729.*

3.) BOEHMER *de fundam. pactorum familiae ad
fideicom. inclinantium, 1730.*

B 2

4.)

a) vid. BVRGERMEISTERS *Graven- und Ritter-Saal*, T. 3.
S. 33. p. 464.



4.) de LVDWIG in *consiliis Halensibus* T. 2. L. 2. C. 124. & 125. Anno 1734.

5.) *Perillustris Liber Baro de CRAMER de pacto hereditario renunciationis filiae nobilis C. 1. b).*

6.) *Perillustris Liber Baro de SENCKENBERG de successione filiarum in regnis & Principatibus* AO. 1736. C. 7. recusa Giessae Anno 1741. c).

7.) Ill. PÜFTER de *lure foeminarum aspirandi ad fideicom. familiae & de earum renunciatione, quae sit extincta iam stirpe mascul.* 1745. C. 2.

8.) *Responsum facultatis Iuridicae Moguntinae, in Sachen des Freyherrn von BODMANN Vormundschaft, contra Freyherrn RINCK von BALDENSTEIN.*

9.) *Kurzer Zusammenzug derer bishero abgehandelten Rechtsgründen in Sachen Freyherrn RINCK contra Freyherrn von BODMANN.*

Plures auctores de hac materia collectos inuenies apud *Generosissimum Dominum de SELCHOW in lure Germanico* §. 630. edit. Ildae.

§. IX.

DIVERSA DE ORIGINE RENUNCIATIONVM FILIARVM
ILLVSTRIVM SENTENTIA.

Quod *ius Romanum* occasionem huius renunciationibus dedit, a nemine in dubium vocatur; in

b) & c) Plura adhuc scripta de hac materia inuenies supra in Prooemio adducta.



in quem autem finem introductæ sint, in eo quammaxime inter se dissentiunt Doctores. Sunt, qui iure Romano æqualem filiarum ac filiorum successionem fuisse, dicunt, & ex hoc supposito obligationis & transactionis causa primas renunciaciones intercessisse, atque iisdem filias iure quaesito se abdicasse concludunt. Alii, per *ius Romanum*, Seculo XIII. in *Germaniam* irruens, in hoc illustrium succedendi ordine & ratione nihil quidem immutatum esse perhibent, sed renunciaciones tantum ab illustribus, sancita intrantis iuris *Romani* extimescentibus, maioris securitatis gratia, ad conservandum suum ius antiquum inuentas esse, contendunt.

§. X.

MEA DE HAC ORIGINE SENTENTIA.

Fama, summorumque in hac materia Dissentientium auctoritas, quid quod? celeberrimarum successionum decisiones, ab alterutra illarum sententiarum, in contrariam partem dependentes, tam magni apud me momenti fuere, ut, cui assentirem, diu dubitaverim. Remoto vero omni partium studio, perlustratisque antiquissimis renunciacionum instrumentis, originem huius negotii perscrutatus, nil nisi cautelas esse hæc Renunciaciones, quibus antiquum suum succedendi ordinem contra irruens ius Romanum



conseruare studuerunt atque conseruarunt familiae illustres, inueni,

§. XI.

QVOMODO DEFINIENDAE SINT RENVNCIATIONES
FILIARVM ILLVSTRIVM.

Antequam autem ad vltiorem huius originis tractationem progrediar haud abs re erit, definitionem negotii hic praemittere, cuius origo tradenda est. Sunt igitur *hereditatum renunciationes in genere vel propriae vel impropriae*. *Propriae sunt pacta renmissoria, quibus de iure succedendi, reuera competente, cedimus a)*. *Impropriae sunt, pacta mere cauentia, quibus, iure hereditario, haud competente, nos velle abstinere, maioris securitatis gratia declaramus*. Qua distinctione adhibita, *Renunciationes filiarum illustrium sunt pacta mere cauentia, quibus hereditate, sibi haud competente, se abstinere velle, maioris securitatis gratia promittunt filiae illustres*.

§. XII.

a) Exemplum renunciationis *propriae*. vide apud BENECKE in *praefat.* ad SENCKENBERGIUM de *successione filiarum in regn. & principatibus* §. 3. p. 10. vsque 15.

Cui adde Exemplum ex LÜNIGIO in *seinem Reichs-Archiu* T. X. p. 36.



§. XII.

RATIO INSTITVTI.

Quo autem eo, quem supra (Cap. I.) originem negotii alicuius *consuetudine* introducti, inuestigandi descripsimus, ordine incedamus, ante omnia in *primam* Renunciationem inquiramus (§. 3. 6.), eique, quod *occasionem* negotio dederit (§. 7.) superstruamus, necesse est. *Proxima* igitur sectione de *tempore* renunciationum & *proxime sequenti* demum de eo, quod *occasionem* illis dederit, agamus.

S E C T I O II.

DE PRIMO RENVNCIATIONVM FILIARVM
ILLVSTRIVM ACTV INVESTIGANDO.

§. XIII.

QVOMODO PRIMVS RENVNCIATIONIS
ACTVS INVESTIGANDVS SIT?

Ex duobus illis in *primum* negotii alicuius *consuetudine* introducti *actum* inquirendi mediis (§. 3.), secundum, scil. per *diplomata* (§. 5.), in hac materia tantum applicari potest. *Scriptorem* enim *coaeuum*, qui de *prima* filiarum illustrium *renunciatione* mentionem faceret, nec ego inueni, nec quisquam alius hucusque laudauit vllum. Neque aliam de *primo* renunciationum *casu inueniendo* solliciti Iurisconsulti in.



ingressi sunt viam, quam allegando *antiquissimum*, quod inuenire potuerunt, Renunciationum *instrumentum*. Igitur eorum vestigia eatenus premens, *primum* Renunciationum *actum* scrutari annitar.

§. XIV.

VARIAE DOCTORVM SENTENTIAE DE PRIMO RENUNCIATIONVM CASV.

In determinando *primo* Renunciationum *actu*, diuersissima hucusque fuit Doctorum sententia, GYNDLINGIVS Saeculo XIV. eas demum ortas, & primum quidem in *familia Neukaufiorum* renunciatum esse, contendit a). Eodem fere tempore, nimirum Anno 1386. in *Sueuia* vsitata fuisse filiarum illustrium renunciaciones variis diplomatibus probat *Perillustris Liber Baro* de CRAMER b), de LVDWIG multo recentiores illas esse putat, dum *antiquissimum* omnium Renunciationum casum, renunciantis filiae nobilis de GEMMINGEN de Anno 1493. esse perhibet c). *Perillustris Liber Baro* de SENCKENBERG proxime accedit *antiquissimae*, quam in-

a) GYNDLING, de *Renunciacionibus heredit. filiarum illustrium*.

b) de CRAMER de *Pacto hereditario renunciatiuo filiae nobilis* C. 2. §. II.

c) de LVDWIG in *Conf. Halensibus* Tom. II. Lib. II. Conf. 124. §. 38.



inuenire potui, renunciationi; exemplum enim renunciacionis de Anno 1236. ex KOPPIO affert d), vbi filia *Comitis de DVINGEN* hereditati paternae renunciat e).

§. XV.

PRIMVS RENUNCIATIONVM CASVS.

Antiquissimum, quod euolutis tot diplomatum collectionibus inuenire potui, renunciacionum filiarum illustrium exemplum, est renunciatio *MATHILDIS*, filiae *HENRICI Imi Ducis Lotharingiae*, quae Anno 1214. *LORENZIO*, filio *WILHELMI Comitis Hollandiae* nubens, paterna hereditate se abdicat. Cum admodum breuis sit haec renunciatio, infra illam adieci a). Licet in veritatem huius diplomatis inquirere huius loci non sit, fidem tamen eius in dubium vocare nolo, praesertim quum celeberrimi & sagacissimi diplomatum Collectores illud collectionibus suis inferuerint; legitur enim apud *BUTKENIUM* b) *LÜNIGIUM* c) atque *DUMONTIUM* d). Eximios certe diplomatum editores!

C

§. XVI.

d) de *SENCKENBERG Meditat. Invis vniuersi Fascic. 2. Med. 7. §. 2.*

e) vide infra Catal. No. 4.

a) vid. *Append. Littera A.*

b) *Trophées de Brabant aux Preuves T. 2. p. 64.*

c) *Codex Diplom. Germ. T. 2. p. 1090.*

d) *Corps Diplom. T. 1. p. 152.*



§. XVI.

VLTERIVS PROBATVR, HANC DE 1214. RENVN-
CIATIONEM ANTIQVISSIMAM ESSE.

Quaquam autem perlectis a me tot diploma-
rum collectionibus haud credibile fit, *antiquius* re-
nunciacionum instrumentum, typis impressum, inuen-
tum iri, maximum tamen adhuc dubium restat,
vtrum primae statim renunciaciones in scripturam
sint redactae; & posito etiam, quod litteris illae man-
datae sint; vtrum a me inuenta renunciatio, de 1214.
inter *scriptas* illas *antiquissima* sit? Cum vero ad inue-
stigandum negotii alicuius *consuetudine* introducti ori-
ginem plurimum faciat, vt de *primo* negotii illius
actu certo constet, (Cap. I. §. 2.) haud superfluum erit,
quaedam adhuc addere, quae certius nos reddunt,
illam renunciacionem de 1214. omnium *antiquissimam*
esse. Plenam vero hic loci a me nemo expectabit
probationem, vtpote quae pro hucusque inuentis in
substrata materia haud possibilis fuit; sufficiant igitur,
quae maxime probabile efficiunt, illam renunciatio-
nem de 1214. omnium *primam* esse. Cum autem
duplex sit, quod obiicitur, dubium: *primum*, vtrum
antiquissimae in scripturam sint redactae renunciatio-
nes; *secundum*, vtrum inter *scriptas* haec de 1214.
prima sit: eo quoque modo, quae ad eorum discus-
sionem pertinere videntur, duplici loco proferam.
Et sequenti quidem §. 17. verosimillimum esse osten-
dam,

dam, *antiquissimas* omnium renunciationum in *scriptis* esse factas; proxime autem sequentibus paragraphis, inter *scriptas* illas, hanc renunciationem de 1214. *antiquissimam* esse, euincam.

§. XVII.

VEROSIMILIMVM EST PRIMAS OMNIVM RENVN-
CIATIONVM IN SCRIPTVRAM ESSE REDACTAS.

Antiquissima per aliquot secula renunciationum filiarum illustrium instrumenta probant, haud alias, quam a filiabus, viro *nubentibus*, peractas esse. (vide infra Catalogum Num. 1. usque ad Num. 45.) Filiae enim *monasterium* intrantes, aliquot demum seculis post *primas* renunciaciones renunciare coeperunt, (Catal. Num. 45.) ita, vt, cum de *primis* hereditatis renunciacionum casibus sermo sit, hae nullatenus in computum veniant. Ex supposito igitur illo antiquo renunciandi modo & ex supra allata *renunciacionum filiarum illustrium* definitione (§. 11.) haud difficile erit, hanc antiquarum medii aevi renunciacionum rationem & conditionem deducere, quod sint, *formulae* quas *parentes cautelae gratia ante nuptias a filiabus exigere consueverunt*. Quo factum est, vt eiusmodi formulae cum aliis matrimonii praeparatoriis & conditionibus quasi coalescerent, atque saepissime eidem, cui haec matrimonii praeparatoria atque con-
ditio-



ditiones, illae quoque renunciationum formulae *a)*, infererentur instrumento. Et maxime quoque utilis videri merito debebat parentibus hic renunciations filiarum suarum charrae mandandi modus, siquidem filiabus ad hereditatem aliquando adspirare volentibus, non modo *ius antiquum Germaniae*, (§. 23.) sed *scripta* etiam obstabat renunciatio. Nec commodior etiam formulis illis renunciatiuis assignari poterat locus, quam inferendo illas, inter alia matrimonii momenta, instrumento super nuptiis filiarum confecto. Ex quibus igitur omnibus haud verosimile esse apparet, parentes eo tempore a filiabus suis ante nuptias renunciations exacturos, nec mentionem ramen illarum in instrumento super matrimonio confecto facturos fuisse. Cum autem iam longe ante *primam* illam renunciationem de 1214. in viū fuerit, super *matrimonii conditionibus* instrumenta conficere *b)*, credibile vero non sit, parentes in instrumentis illis nu-

a) Quod plurima infra recensita instrumenta nuptialia probant, in quibus renunciations continentur (Catalogus Diplom.).

b) Ex pluribus instrumentis nuptialibus ante annum 1214. confectis, sequentia sufficiant.

Pactum matrim. inter GERBERTVM & GOBEHILDEM de Anno 1086. apud MARTENIVM in *Veterum scriptorum & mon. collectione*, T. 1. p. 518.

Ver-



nuptialibus has formulas renunciatiuas omiffuros
fuisse; (per superius demonstrata,) vero simillimum
inde fit, *primas omnium renunciationum in scripturam*
esse redactas.

C 3

§. XVIII.

*Vergleich zwischen Grafen PHILIPPEN von FLANDERN,
und Herzog GOTTFRIEDEN von LÖWEN, die Mariage
zwischen des Herzogs Prinzen HENRICO und des Grafen
Enkelin MATHILDE betreffend de 1179. LÜNIG
Codex Dipl. Germ. T. 2. p. 2003.*

*Pactum matrimonii inter GALERANVM Comitis
MELLENTI filium & MARGARITHAM filiam RVDOL-
PHI de FEVGERTIS de Anno 1189. apud MARTENIVM
in veterum scriptorum & monum. collectione. T. 1. p. 986.*

*Traité entre HENRY Duc de LORRAINE & le Comte
de GVELDRE concernant le Mariage de GERAND
le fils du Comte avec MARGVERITE fille du Duc de
1204. apud DVMONTIVM Corps Diplom. T. 1. p. 131.*

*Charta PHILIPPI AVGVSTI Regis de matrimonio
ISABELLAE filiae GVILHELMI CAMPELLANI de
Tanguarvilla de Anno 1205. apud MARTENIVM l. c.
T. 1. p. 1051.*

*Charta ERMENGAVDI de matrimonio inter ARNOL-
DVM de Castro bono, vicecomitem & ELISENDAM
de CORDONA neptem suam. de Anno 1206. MAR-
TENE l. c. T. 1. p. 1070.*

*Traité entre PHILIPPE Roy des Romains & HENRY
Duc de Brabant contenant le Mariage de HENRY fils
du Duc avec MARIE seconde fille du Roy des Romains
de Anno 1207. DVMONT Corps Dipl. T. 1. p. 137.*



§. XVIII.

I. ARGUMENTVM QVOD DIPLOMA ILLVD DE 1214.
PRIMAM OMNIVM RENVNCIATIONVM
CONTINEAT.

Quanta fieri potuit certitudine §. 17. verosimilimum esse probavi, *primas* omnium renunciacionum in *scriptis* esse factas. Iam ad ea mihi prouolandum est argumenta, quibus, inter *scriptas* illas, hanc renunciacionem de Anno 1214. *primam* esse, probabile reddam (§. 16.). *Primum*, quod afferam, fere confectarium est argumenti, priori Sgrapho allati. Quodsi enim verosimile est, parentes renunciaciones filiarum suarum in instrumentis super matrimonio, ab his inito, confectis, haud omisso fuisse (§. 17.), plura tamen ante hanc *primam* de 1214. renunciacionem existerint instrumenta nuptialia, in quibus nullius renunciacionis mentio facta (§. 17. n. 6.); tum quoque probabile est, eo tempore, quo instrumenta illa nuptialia, nulla in illis renunciacione obuia, confecta sunt, renunciaciones nondum visitatas, sed illas Anno 1214. *primum* initium sumfisse. Quod argumentum inde etiam robur aliquod accipit, quod *prima* illa renunciatio de 1214. in *Domo Lotharingica* facta, vbi Anno 1204. instrumentum nuptiale iam confectum est *a*); in quo tamen ne verbo quidem re-

a) vide notam §. 17.



renunciationis alicuius mentio iniicitur; ideoque etiam verosimillimum fit (§. 17.), hanc renunciationem de 1214. in *Domo Lotharingica primam* esse.

§. XIX.

II. ARGUMENTVM A PAVCITATE RENVNCIATIONVM
SAECVLI XIII. PETITVM.

Renunciations ab *Illustribus* inuentae sunt, quo antiqua sua contra irruens ius Romanum eo melius defenderent iura (§. 10.). Eodem igitur modo in *Germaniam* introductae esse debent haec renunciations, quo ius Romanum in illam irruit, atque *Illustres* illius irruptionem, iuribus suis fraudi futuram, timere coeperunt. Nunc vero successiue ex vna in aliam prouinciam transit ius Romanum, atque hoc modo successiue, vel in hac, vel in illa, *Illustribus* timorem iniecit, prouincia; ergo renunciations quoque ita successiue, modo in hac, modo in illa prouincia, originem duxisse oportet. Quodsi autem successiue ex vna in aliam prouinciam transferunt filiarum *Illustrium* renunciations, primis illarum temporibus etiam perpaucissimae in *Germania* esse debuerunt renunciations, quam plurimae autem sequentibus temporibus. Cum igitur, comparato numero renunciationum Saeculi XIII. cum renunciationibus sequentium temporum (vide *Catal. Renunc.*), illas perpaucissimas esse elucescat, maxime probabile inde vide-



detur, renunciationes illas Saeculi XIII. a *prima* earum origine haud multum abesse. Nec ego in Saeculo XIII. antiquiorem, illa de 1214, inuenire potui renunciationem.

§. XX.

III. ARGUMENTVM A BREUITATE RENUNCIATIONVM
SAECVLI XIII. DESVMTVM.

Renunciationes filiarum illustrium *cautelae* gratia ab Illustribus Germaniae inuentae sunt, quo ius suum antiquum contra irruens ius Romanum eo magis in tuto collocarent (§. 10.). Quo magis igitur filias suas, a *Romanizantibus Iureconsultis* instigatas, ad hereditatem auitam adspirare, & quo magis ius Romanum in Germania pedem figere animaduertebant, eo magis quoque renunciationibus sibi prospicere, renunciationesque antea simplices, nouis subinde clausulis atque additamentis augere coeperunt *Illustres*, antiquorum suorum iurium tenacissimi. Inde factum, vt ex simplici primaeuo renunciandi modo, copiosa illa tractu temporis renunciandi ratio sit orta, quod ex permultis illis, ordine chronologico collocatis, renunciationum exemplis perspici potest, vbi, quo recentior, eo longior quoque, clausulisque auctior, fit renunciatio a). Ex quo optimo iure mihi inferri posse

a) Conferenda hic sunt renunciationum exempla *Appendicis* loco adiecta, nec non permulta alia in *Catalogo* allegata exempla.



posse videtur: quo simpliciores & breuiores renunciaciones sunt, eo propius quoque illae primae earum origini accedunt. Cum igitur saeculi XIII. renunciaciones, aliis insequentium temporum renunciacionibus multo breuiores sint (Catal.), ex omnibus autem saeculi XIII. renunciacionibus breuissima sit renunciatio illa de 1214. (vid. Ap. L. A.) ita, vt ne verbum quidem in illa superfluum sit, mihi quidem haud improbabile viderur, renunciaciones saeculi XIII. primae illarum origini admodum propinquas, breuissimam autem & antiquissimam illam saeculi XIII. renunciacionem de 1214. omnium etiam renunciacionum primam esse.

§. XXI.

IV. ARGUMENTVM A LOCO DESVMTVM, VBI VEROSIMILLIMVM EST, PRIMAS OMNIVM RENVNCIATIONVM FACTAS ESSE.

Renunciaciones eo modo in Germania in vsum venire coeperunt, quo Ius Romanum in illam irruere coepit (§. 19.). Ius Romanum autem, per notoria, in *occidentalibus & meridionalibus* Germaniae partibus prius in vsum venire coepit, quam in iis, quae versus *orientem & septentrionem* illius sitae sunt regiones. In illis igitur terris maturius introductae esse debent *filiarum illustrium renunciaciones*, quam in his septentrioni propioribus. Quod, ordine chronologico collocatis renunciacionum omnis aevi exemplis,
D. *msibi so 340131* ita



ita reapse se habere, inueni. Antiquissima enim, quae inuenire potui, renunciationum diplomata ex *meridionalibus & occidentalibus* Germaniae Regionibus sunt, multo recentioris autem originis sunt renunciationes in *orientalibus & septentrionalibus* Germaniae partibus celebratae a). Quod cum ita sit, *antiquissima* omnium renunciationum non in *septentrionalibus* sed in *occidentalibus* Germaniae partibus quaerendae sunt. Cum autem *Lotharingia* remotissimarum una versus *occidentem* Germaniae prouinciarum fuerit, atque in illa prouincia *antiquissima* omnium inuentarum renunciationum peracta fuerit, maximum mihi hoc pro *antiquitate* huius diplomatis praebet argumentum.

§. XXII.

CONCLUSIO ET TRANSITVS AD SECTIONEM SEQUENTEM.

Hactenus tradita sunt, quae ad inuestigandam *primam* omnium renunciationum dicenda esse duxi. Quibus praemissis, eo facilius erit, sectione proxime sequenti ea propinare, quae occasionem huic negotio dederunt.

SE-

a) vide *Catalogum renunciationum* Num. 62. qui *primam* renunciationem continet in *septentrionalibus* Germaniae regionibus factam.

SECTIO III.

DE EO, QVOD OCCASIONEM DEDERIT REN- VNCIATIONIBVS FILIARVM ILLVSTRIVM.

§. XXIII.

IVS SUCCEDENDI ANTIQVVM FILIARVM IN GERMA-
NIA ANTE SECVLVM XII.

Ab omni aevo vsque ad ea, quo *ius Romanum* in *Germaniam* irruere coepit, tempora, nullum ius cum fratribus succedendi habuisse filias Germanorum, nemo fere est, qui dubitat. Non solum enim, *Perillustis de CRAMER, summi*, quod *Wezlariae* floret, *tribunalis decus*, varia circa hanc rem peregre obseruauit *a*), sed admodum etiam multorum Iurium Doctores, apud *Perillustrem L. B. de SENCKENBERG b*) allegati inueniuntur, qui huic fauent sententiae; vtrum vero per irruens *Ius Romanum* antiquus hic succedendi ordo, vel in totum, vel quoad *plebeios* tantum immutatus sit, de eo diuersissima Iurisconsultorum sententia est. Cum autem, si quid in *antiquo* hoc succedendi ordine est

D. 2

a) in Diff. de pacto hereditatis renunciatio C. 1. §. 3.

b) in Diff. de successione filiarum in Regnis & Principatibus C. 5. §. 40.



mutatum, nonnisi iure Romano illud factum sit, haud superfluum erit, de modo quaedam praemittere, quo Ius Romanum in Germaniam intrare coepit.

§. XXIV.

IUS ROMANVM NEQVE EXPRESSE NEQVE TACITE
SAECVLO XII. ET XIII. IN GERMANIA
RECEPTVM EST.

Quod Ius Romanum saeculo XII. & XIII. in quibusdam negotiis apud Germanos iam applicari coeperit, de eo nullum dubium est a). Quod autem eo tempore vel *expresse* vel *tacite* in Germania illud receptum sit, de eo ne minima quidem exstant vestigia. *Expressa* enim legis receptio expressa omnino eorum declaratione indiget, penes quos est leges condere. Talis autem nullibi exstat *constitutio*, in qua Ius Romanum saeculo XIII. receptum sit. Nec de *tacita* etiam receptione Iuris Romani saeculo XIII. facta, constat. Sicuti enim expressa legis receptio expressam eiusdem voluntatis declarationem requirit, penes quem est leges statuere, ita in *tacita* legis receptione, *quieta* illius applicatio, nemine contradicente repetita, ad declarandum Legislato-

a) Perill. L. B. de CRAMER, de pacto hereditario renunciarium filiae nobilis. C. 1. §. 9.

litoris consensum desideratur. Vtrumque autem in illis temporibus deficit. Quamprimum enim Iuris Romani in Germaniam irruentis vestigia animaduerterent *status Imperii*, in comitiis pro conseruando suo iure *antiquo* maxime solliciti fuerunt. Et repetita quoque vice *antiqua* illorum iura ab Imperatoribus confirmata sunt *b*). Quid, quod? Imperatores poenam illis irrogari voluerint, qui secundum

D 3

pro-

b) Sic anno 1208. in *Comitiis Francofurtanis* sancitum est, ut omnia a CAROLO MAGNO instituta obseruarentur tenerenturque illibata. GODOFREDVS *Monachus* ad annum 1208. Nec non *legum patriarum* vsus confirmatus est a RVDOLPHO *Habsburgico* in *Recessu Imperii* de 1287. & 1291. qua de re LEHMANNVS in *Chronico spivensi* L. 5. C. 108. ita scribit. *Aus Koenig Rudolphs Reichs-Abschied hat man zu sehen — zum andern daß man den Brauch der Roemischen Lateinischen Rechten un diese Zeit in Deutschland noch nicht eingeführet, sondern ein jedes Volk, Land und Staedt, sich seiner eigenen Rechten und Gewohnheiten, so sie von Aetern hergebracht, beholfen.* Sub ADOLPHO quoque *Imperatore antiqua Germaniae iura* confirmata sunt; de quo LEHMANNVS in *cit. Chronico* L. 5. C. 119. ita loquitur: *Koenig Adolph hats im Anfang seiner Regierung hochnothwendig ermessen, daß die deutsche Rechte und der Landfrieden wieder erneuert, und im Reich zu halten verabschiedet und befohlen würde. Derohalben gleich im Eingang des Reichs im ersten Jahr die Churfürsten nach Coeln zur Reichs-Versammlung berufen.*



protinclarum consuetudinem non iudicarent c).
 Ex quo tacitus eorum pro introducendis iuribus peregrinis colligi non potest consensus. Ut alia taceam, quae pro viridi adhuc eo tempore iurium domesticorum in Germania obseruanda afferri potuissent d).

§. XXV.

c) Sic FRIDERICVS in constitutione sua *Francofurti lata* anno 1234. praecipit: *Comes vel alius nobilis iudicium habens, si non iudicauerit secundum Prouinciarum consuetudinem Domino Regi, sicut dictum est, centum marcas argenti componat.* ALBERICVS ad annum 1234. p. 548. &c. Hic quoque locum merentur, quae ex constit. CHLOTARII R. refert SPENERVS *im deutschen Staats-Recht* lib. 2. c. 10. §. 7. not. c. *Per hanc generalem auctoritatem praecipientes iubemus, ut in omnibus causis antiqui iuris forma seruetur, & nulla sententia a quolibet iudicum vim firmitatis obtineat, quae modum legis atque aequitatis excedit. - - Prouideat ergo strenuitas vniuersorum iudicum, ut praeeptionem hanc sub omni obseruatione custodiant, nec aliud eligere aut iudicare quam - - iuxta antiqui iuris constitutionem olim vixisse dinoscitur, sub aliqua temeritate praesumant.*

d) Conf. L. B. de SENCKENBERG *in denen Gedanken von dem iederzeit lebhaftesten Gebrauch des uralten deutschen bürgerlichen und Staats-Rechtes* &c. BOCRIS, *de Germania Iurisprud. sua German. nunquam destituta.*

§. XXV.

QUOMODO IUS ROMANVM SAECVLO XIII. IN GERMANIA IN VSVM VENIRE COEPERIT.

Interim cum hinc & inde Germanorum negotia eo iam tempore secundum placita *iuris romani* ordinari coeperint (§. 24. a), nec tamen illud tanquam *norma decidendi* eo tempore receptum fuerit in Germania (§. 24.), alia certe ratione hoc factum esse oportet. Diuersa hic inter Iurisconsultos de causa receptionis iuris romani, ab hoc tempore in Germania exorsa, sententia regnat. Omnium optima *Illustr. PÜTTERI, Praeceptoris mei colendissimi*, quam inter docendum ab illo saepius traditam esse recorder, mihi quidem videtur a). Hic, *maximae famae Iurisconsultus*, iam sub OTTONIBVS opinatum esse docet, Imperium Romanum ad Germanos translatum esse. Quo factum est, vt LOTHARIVS eiusque in Regno *Antecessores*, IVSTINIANI b) quid, quod!

AV-

a) Variis hanc materiam *Vir Celeberrimus* programmaribus enucleare aggressus est. Conf. DATTIVS, SENCKENBERG. STRVBIVS & OLENSCHLAGER excitati ab ill. MEISTERO, *Praeceptore meo venerando*, in eruditissima diss. de *iuris romani crim. in germ. foris maxime hodiernis auctoritate* §. 9. vbi *Vir doctissimus* eandem calculo suo comprobatur sententiam.

b) Quam opinionem sub MAXIMILIANO I. & CAROLO



AVGVSTI successores crederentur. Qua sententia probata, haud difficile erat, ex *Bononia* reuerentibus Iurisconsultis, persuadere *Germanis*, se *Ius Caesareum* inde reportare, ius in Imperio Romano validum. Nec minus inde colligi debebat, *ius Romanum* in *Germania* non esse peregrinum, idque receptione indidere nulla, sed esse in *Germania domesticum*. Ex hac etiam ratione illis temporibus, quibus ex *Italia* in *Germaniam* ius transibat *romanum*, nunquam de receptione quadam aliquid auditum est, quemadmodum nos dicturi essemus, quando de iure peregrino hodie adsumendo res incideret. Sed tanquam *Caesareum Ius* in toto Imperio ipso iure valens habebatur. *Germani* historiarum tunc rudes, hanc doctrinam maxime erroneam esse, quidem haud animadvertentes, moribus tamen suis haud respondere peregrina illa iura facile videbant. Omnibus igitur viribus, hanc iurium domesticorum cum peregrinis contentionem obseruantes, ad repellendum ius *romanum* nite-

LO V. adhuc obtinuisse, probant passus constitutionis contra Blasphemos de Anno 1495, vbi MAXIMILIANVS, IVSTINIANVM, seinen Vorfahven im Reich, loeblichen Gedacchtniß vocat; nec non Artic. 104. 118. & 120. constitutionis criminalis CAROLINAE, vbi ius civile vocatur, die Satzungen unserer Vorfahven vid. HEINECCIUS in historia iuris L. 2. C. 4. §. 105.



nitebantur c). Inde duae inter Iurisconsultos Germaniae oriebantur Sectae; quarum *Laici* vnam, *Clerici* alteram constituebant; *hi Italiani*, iuris ibi discendi causa proficiscebantur; *illi antiquorum Germaniae* morum tenacissimi, ne vnguem transuersum de iis cedebant.

§. XXVI.

DE IIS, QUIBUS IRRVENS IVS ROMANVM ANSAM
DEDIT, ET DE ILLUSTRIVM STUDIO IN
CONSERVANDIS IVRIBVS
ANTIQVIS.

Interim omnia pro repellendo iuris *romani* in *Germania* vsu adhibita molimina effectu destituta sunt sperato. Non solum enim ius *romanum* propter erroneum illud Iuris Consultorum principium, (§. 25.) sed ob manifestam etiam plerarumque, ne dicam omnium, legum romanarum aequitatem sensum sensimque saeculo XII. & XIII. in foris *Germaniae* auctoritatem obtinuit. Nec licet ex erroneo principio (§. 25.), aut priuata etiam auctoritate, primum inualuerit in *Germania* ius *romanum*, de eius hodie-

E
no

c) HEINECCIUS in *Historia Iuris* L. 2. C. 3. §. 67. & sequentibus.

EISENHARDT, *Orat. de meritis nobilitatis teutonicae circa iuris patrii conseruationem*. Vide quoque quae §. 24. nota b. & c. tradita sunt.



no valore vllum superest dubium, dummodo, si ad singulas prouincias respicimus, neque statutis, neque legibus prouincialibus mores *antiqui* sint conseruati & quasi restaurati *a*). Quemadmodum etiam omni vacat dubio, illa antiqua Germaniae iura adhuc hodienuum valere, quae *non usu* haud obsoleuerunt, quaeque potius ii, quorum maxime intererat, continuis integra & illaesa seruare studuerunt pactis atque cautionibus. Ab Imperii enim nostri legumlatoribus *antiquae* Germaniae consuetudines, saltim omnes, nunquam abrogatae sunt, potius ab omni aeuo, quo *peregrina* in *Germaniam* irrepere iura, legibus Imperii illae confirmatae leguntur *b*). Deinde monendi sumus, quod si etiam de abrogato iure

a) Quam plurima hoc modo conseruata esse iura *antiqua*, probant *iura statutaria* saeculo XIII. & sequentibus conseruata.

b) Quod sub primis, quo ius romanum in germaniam venit, temporibus, iura *antiqua* semper confirmata sint (ex §. 24. nota *b. & c.*), apparet, quodque eo tempore, quo iuri romano, tanquam iuri *subsidiario*, auctoritas concessa est, *patria* quoque confirmata sint iura, probant verba MAXIMILIANI I. in *ordinat. iudicii cameralis* de anno 1495. „ Ein ieder soll seine Untertanen in ordentlichen Gerichten, Rechten und Obrigkeiten, lassen, und halten, nach eines ieden Fürstenthums, Herrschaft und Oberkeits, Herkommen und Gebrauchen. Nec

iure antiquo Germanico quaestio moueatur, differentiam inter *privatos & illustres* c) adhibendam esse. Maxima enim ex parte iura *antiqua*, ad conseruandum *familiarum splendorem* facientia, variis modis conseruare studuerunt atque conseruarunt *Illustres* d). Cum e contra *privati* placitis *iuris romani* tanto cum ardore sese non opposuerint, sed sponte potius illius vincula exosculati sint. Fieri igitur aliter non potuit, quam quod permulta sibi iura conseruarent *Illustres*; vti vberius testantur *Celeb. Dom. BRANDIVS* e) *Fautor meus deuenerandus*, nec non *Celeb. EISENHARDT* f). Sed sufficiant haec generalia; &

E 2

Nec non CAROLVS V. in *ordin. de 1521.* vbi Adfessores iureiurando obstringi iubet, vt iudicent; „nach
„ *vedlichen ebrbaren und Laendischen Ordnungen, Statuten*
„ *und Gewohnheiten der Fürstenthümer, Herrschaften*
„ *Gericht, die vor sie bracht werden.*

- c) Quam restrictus alias sit vocis *Illustris* significatus, hic tamen loci tam *superioris* quam *inferioris nobilitatis* personas denotat, modo *auita* sit illarum nobilitas.
- d) Acutissime haec a *Praeceptore meo pie colendo, Generosissimo Domino de SELCHOW* in *Iure German. §. 70.* obseruata sunt.
- e) *de natura bonorum auitorum vulgo Stamm-Güter* &c. &c. Marpurgi 1746.
- f) *de meritis nobilitatis reutonicae in iuris patrii conseruationem.* Helmst. 1755.



& sequentibus sphis ad ea me conuertam, quae specialem harum thesium applicationem ad materiam in hac III. Sectione tractandam, concernunt.

§. XXVII.

NOVA PRAECIPVE INTRODVXIT IVS ROMANVM IN MATERIA SVCCESIONIS.

Si in vlla materia ius *romanum* saeculo XII. & XIII. noua in Germaniam introduxit, in ordine certe succedendi hoc factum est. Diverfissima enim in hac materia iuris *antiqui germanici* & nouiter irruentis iuris *romani* principia erant, cum nullam filiabus, exstantibus fratribus, portionem haereditariam tribuerent *germani* (§. 23.), *romana* autem iura aequalem illis cum fratribus addicerent succedendi ius *a*). Omni vero dubio vacat, vsus potius nos docet quotidianus, *successionis romanae* doctrinam, legum largissimam, in *Germania* auctoritatem obtinuisse, atque *mores germanicos* profligasse, ex erroneo licet principio saeculo XII. & XIII. propria auctoritate a *romantibus iureconsultis* introducta sit (§. 26.).

§. XXVIII.

a) vide e. g. L. p. C. de legitimis heredibus, Nouellam. 21.



§. XXVIII.

ILLVSTRES GERMANIAE ANTIQVVM SVCCEDENDI
ORDINEM AD NOSTRA VSQVE TEMPORA
CONSERVARVNT.

Sed videamus, vtrum vniuersaliter in tota Germania antiquus ille succedendi ordo (§. 23.) in desuetudinem abierit, atque in eius locum ius romanum invaluerit? vel, vtrum quoad *Illustres* germaniae, vti in aliis *antiquis* germaniae iuribus (§. 26.), hic quoque aliqua sit statuenda differentia? Et diffitendum non est, hoc loco differentiam inter *Illustres* & *privatos* perspicue satis inde apparere, quod ad nostra usque tempora ab omni aevo *antiquus* ille succedendi ordo (§. 23.) inter illustres vsu seruatus; *privatorum* vero successiones hereditariae ex iure romano aestimatae, hereditatesque inter filios & filias aequa lance diuisae sint. Mens quoque & intentio *Illustrium*, ordinem succedendi *antiquum* conseruandi exinde optime & firmissime colligi potest, quod irruentis saeculo XIII. iuris *romani* placita meruentes, superfluis illum munirent cautelis. Inter quas praecipua fuit illa cautio, quod a filiabus suis, familia exeuntibus, maioris securitatis gratia renunciationes exigent. Quae cum maximis per aliquot iam saecula altercationibus ansam praebuerint, haud aliter tamen decidendis, quam inquirendo in
E 3
veram



veram renunciationum *occasionem*; haud abs re erit, de prima illarum *occasione* quaedam differere.

§. XXIX.

AD MELIOREM HVIVS IVRIS CONSERVATIONEM
RENUNCIATIONES AB ILLUSTRIBVS
INVENTAE SVNT.

Sub finem saeculi XII, *Bononia* reuertentes iuris-
consulti inter alia iuris *romani* capita (§. 25.), id quo-
que, quod successiones hereditarias ordinat (§. 27.),
reportabant, & datis occasionibus thesauros suos ex-
ponebant. Cumque sub aequitatis specie successio
romani iuris *privatae* conditionis personis maximo-
pere se commendaret, contigit inde, vt in multis
quoque successio *romana* introduceretur *familiis*.
Nec difficilis res erat, *privatis* aequitatem & prae-
stantiam successionis iuris *romani* persuadere, cum
praeter illam, quae pro valore iuris *romani* in *germa-
nia* iam pugnaret, sententiam (§. 25.), & hoc acce-
debat, quod a parte *privatorum* familiae conseruan-
dae studium non obfaret, vrpote quibus morientib-
us nil aliud, quam vt bona in dilectorum suorum
descendentium manus venirent, curae cordique erat.
Quod apud Illustris aliter se habebat, ceu qui con-
seruandi *familiarum splendoris* studiosissimi, aequo
animo perferre haud poterant, quod bona sua *auita*
inter

inter filios filiasque diuiderentur. Quam maxime igitur circa nouationes hasce, per ius *romanum* introductas, attenti fieri debebant *Illustres*, ne in suis quoque *familiis* tractu temporis, *familiarum splendori* perniciofa illa iuris *romani* dispositio, legis obtineat vigorem. Imo eo magis *scripti iuris romani* metuenda erat insinuatio, cum sine *scripto* veniret hucusque obseruata filiarum a paterna hereditate exclusio, & in sola confisteret *consuetudine*. Quo certiore igitur & inobliteratam redderent *consuetudinem* illam, conseruationem *familiarum* maxime respicientem, media ^{a)} excogitarunt, quibus contra nouationes *peregrini* iuris *antiquum* suum succedendi modum firmiter defenderent. Inter quae utilissimum illis omnino remedium videri oportebat, & visum quoque est, si filiabus, familia exeuntibus, renunciationes iniungerent. Tum enim filiabus suis, in posterum ex iure illo *peregrino* sibi ius aliquod in hereditatem *auitam* vindicare volentibus, non *antiquam* modo *consuetudinem*, sed *renunciationes* quoque obstaturas esse, recte iudicarunt. Nec difficilis eo tempore obtentu erat talis renunciatio, cum nullum sibi inde praeiudicium nasci sentirent filiae renunciantes. Quo effectum est, vt nullibi quoque eo tempore lis super

a) Alia media, veluti per *oblationem in feudum*, collegit Ill. EISENHARDVS in *oratione*, de *meritis nobilitat. in conseruando studio patrio*. Helmst.



super tali renunciatione sit orta, qualis certissime mora fuisset, si de iure perfecto hisce renunciationibus cedere debuissent filiae illustres. Hinc *simplicissimae* quoque erant *primae* omnium renunciationes, (vid. *Appendicem* Lit. A. & alia exempla in *Catalogo* allata) quia vnum etiam verbum parentes securos satis reddebat eo tempore, quo, exceptis aliquot *privatis*, *romana* principia amplectentibus, in viridi adhuc, *antiqua* succedendi ratio, erat obseruantia. Postea autem, cum magis magisque *romana* successo inter *privatos* in frequentem abiret vsum, cumque filiabus, a *romanizantibus* iurisconsultis instigatis, *peregrina* succedendi ratio quoque arrideret, eo firmiores hasce renunciationes, ad conseruandum ius *antiquum*, fieri crediderunt, si quibuscunque illas claufulis atque appendicibus communirent. Inde ex *simplicissimis* illis saeculi XIII. renunciationibus (vid. *Append.* Lit. A. & alia exempla in *Catalogo* allegata) prolixae illae & verbosae saeculi XVI. & XVII. renunciationes sunt ortae, (*Append.* Lit. B. C. & *Catal.*) quibus successiue *iuramenta*, (*Cat.* No. 8.) *iudicum confirmationes*, (*Catal.* No. 28. a.) *figilla*, (*Catal.* No. 41. b.) *instrumenta notarialia* (*Catal.* No. 60.) & multa adhuc alia (*Catal.*) accesserunt.

§. XXX.



§. XXX.

ALIUS TRACTV TEMPORIS RENVNCIATIONIBVS
SIGNIFICATVS EST TRIVTVS.

Cui accedit, quod sub finem saeculi XV. & priore parte saeculi XVI. nonnisi principiis iuris *romani* imbuti Iurisconsulti romana quoque immiscebant hisce filiarum illustrium renunciacionibus. Exempla eiusmodi formularum infra collegi. (Catal. No. 39. e. No. 571. a. No. 60. β. No. 61. δ. No. 64. b.) Quod eo valuit, vt renunciaciones hae multis iam antea clausulis atque appendicibus auctae, (§. 29.) pro propriis (§. 11.) iuris *romani* renunciacionibus haberentur, atque omnia iuris *romani* de renunciacionibus sancita a) peruerse ad hasce *germanici* tantum iuris cautelas applicarentur. Per *indirectum* inde filiabus illustrium ius concedebatur hereditarium, quod hae nunquam antea petierant, nec ob conseruatam hucusque inter *illustres antiquum* succedendi ordinem vindicare ausae erant. Et quamuis haec erroneo niteretur fundamento opinio, ab omnibus tamen saeculi XVI. & XVII. Iurisconsultis b) magno inde ardore propugnata est, & plurimis

a) e. g. ad renunciandum neminem cogi posse; omnes renunciaciones esse stricte interpretandas; renunciaciones non praesumi, & quae huius generis alia sunt.

b) Plures illorum edidit SCHILTERVS in *tractatu de renunciacionibus*.



mis ab origine sua vsque ad nostra tempora occasio-
 nem dedit diffidiis. Nec mirandum est, omnes il-
 lius aevi Iureconsultos huic peruersae renunciatio-
 num filiarum illustrium interpretationi applausisse,
 cum, nondum exculto iuris *germanici & historiae
 medii aevi* studio, adminiculis destitutos necessariis,
 vera renunciationum *occafio* illos, hanc rem decem-
 peda *romana* metientes, lateret. Sed quis, quaeso,
 tam audex foret, vt ex hac Iurisconsultorum saecu-
 li XVI. & XVII. erronee adoptata sententia, & ex
 praeiudiciis erronee illi doctrinae a nonnullis *germa-
 niae* iudicibus superstructis, (vide §. 33. in fin.) *il-
 lustribus Germaniae* ius adimere conaretur, quod ab
antiquis temporibus, vsque dum ius *romanum* in
Germaniam irruit, in viridi fuit obseruantia (§. 23.);
 quod, irruente iure *romano*, legibus adeo in *comitiis
 Imperii* latis cum aliis *antiquis* Germaniae iuribus con-
 firmatum est; (§. 24. b) quod ab eo tempore re-
 nunciationibus atque aliis cautelis maioris securitatis
 causa conseruare studuerunt (§. 29.); quodque
 non obstantibus Iurisconsultorum saeculi XVI. &
 XVII. moliminibus ad hunc vsque diem conserua-
 runt? Interim cum haec maximi momenti res sit,
 & tota inde in hac materia pendeat decisio: *utrum
 irruente iure romano verum succedendi ius naetae fue-
 rint filiae illustres, cui deinde renunciauerint?* vel:
*utrum hae pro conseruando tantum antiquo iure Germa-
 nico*

nico cautelae gratia inuentae fuerint renunciaciones? operae esse pretium arbitror, ad magis stabiliendam meam de origine renunciacionum sententiam (§. 10.) & 29.) praeter superius iam adducta, aliqua adhuc in medium proferre.

§. XXXI.

REFELLITVR PERVERSA HAEC RENUNCIATIONVM
EXPLICATIO.

Ante omnia igitur hic mihi illa destruenda est hypothesi, qua iure *romano* filiabus illustribus *verum* aliquod cum fratribus succedendi ius competuisse supponitur. Et *primo* quidem ostendam, nulli apud Historicos de facta aliqua in successione foeminarum mutatione mentionem esse factam, sed vni- ce illam hypothesin *praesumptione* niti, quod omnis nempe iure aliquo perfecto se abdicasse censeatur renuncians (§. 32.). *Secundo*, de obseruantia haud constare defendam, quod filiae non renunciantes exstantibus fratribus cum ipsis ad successionem vocatae sint (§. 33.). *Tertio*, fortissimas quoque, quod *romanus* inter *illustres* succedendi ordo saeculo XIII. introductus non sit, afferam praesumptiones (§. 34.). Quibus absolutis quaedam adhuc, quae, renunciaciones illas *cautelae* tantum gratia inuentas esse, certiores nos reddunt, adiciam (§. 35. vsque ad §. 41. incl.).

F 2

§. XXXII.



§. XXXII.

NULLIBI FACTAE ALICVIUS MUTATIONIS, IN ORDINE
SUCCEDENDI FILIARVM ILLUSTRIVM
EXSTAT MEMORIA.

Quod nullibi apud *scriptores mediæ ævi* de facta quadam inter *illustres iuris antiqui* (§. 23.) mutatione mentio sit iniecta, exinde colligi posse mihi videtur; quod irruente iure *romano* nihil in *antiquo* succedendi ordine immutatum sit. Licet enim alias ab eo, quod res aliqua, *medio ævo* peracta, a nemine sit memoriae prodita, ad id, quod res illa facta non sit, firmum duci non possit argumentum, ex sequenti tamen ratione, in hoc ita argumentari nos posse casu, equidem crederem. Cum enim talis iuris *antiqui* (§. 23.) quoad *Illustres*, mutatio (§. 28.) non sine maximo illorum detrimento fieri poterat, vix credendum est, se huic mutationi omnibus viribus non opposituros fuisse *Illustres*, præcipue cum leges in *comitiis* latae adessent, quibus *antiqua* illorum iura facta tecta conseruarentur (§. 24. n. b. & c.). Quis autem sibi persuadere potest, tot tantasque lites illo tempore ob mutationem hanc ab *illustribus* citas, nec tamen eas ab illius temporis scriptoribus, & ne verbo quidem, esse annotatas. Vnice igitur *præsumptione* nititur haec de *mutato* iure *antiquo* succedendi inter *Illustres* hypothesis. Filias enim *illustres*

fres vbique fere renunciare videbant hi saeculi XVI. & XVII. Icti, indeque ius aliquod antea existens illas habere debuisse concludere, omnem renunciantem se iure aliquo *perfecto* abdicasse praesumendum esse censentes. Nec aliter, quam introducto iure *romano* in *Germaniam* illud ius nactas esse filias illustres dicebant. Cum autem nullibi prohibitum sit, iuri etiam non competenti maioris securitatis gratia renunciare (§. 11.) atque pro hac sententia, quod nihil inter *illustres* in hoc succedendi ordine immutatum sit, quodque maioris tantum securitatis gratia renunciauerint filiae illustres, permultae iam traditae, & infra adhuc afferendae, militent praesumptiones; nullum est dubium, *permultas* hasce, *unicam* illam, pro abrogato inter illustres *antiquo* succedendi ordine militantem (§. 23.), vincere praesumptionem.

§. XXXIII.

DE OBSERVANTIA NON CONSTAT, QVOD FILIAE NON
RENUNCIANTES EXSTANTIBVS FRATRIBVS AD
SVCCESIONEM VENERINT.

Si iure romano saeculo XIII. *perfectum* ius hereditarium nactae sunt, & si renunciationibus suis *vero* iure hereditario se abdicarunt filiae illustres, tum non renunciantes cum fratribus omnino succedere debere. Multae nunc autem filiae illustres saeculo



XIII. & XIV. viuis parentibus haud renunciarunt *a*), nec ideo tamen ad *auitam* simul cum fratribus admiffae sunt hereditatem. De obseruantia igitur non constat, quod filiae illustres non renunciatae simul cum fratribus successerint. Quod enim ad quaedam in contrarium adducta exempla attinet *b*) *primo* tantum abest, quin specialia illa exempla generalem obseruantiam faciant, vt potius *exceptionem* a *regula* constituent *c*). *Secundo*, aliquibus demum saeculis, post primas renunciaciones, singulares hae filiarum illustrium successiones exstiterunt, vt itaque de mutato saeculo XIII. iure succedendi in familiis *illustrium* & de introductis in hunc finem renunciacionibus filiarum illustrium argumentum non praebeant omni exceptione maius. *Tertio*, etiam eo illae *contingunt* successiones tempore, quo *vera* renunciacionum *occafio* plane ignorabatur, atque secundum *romana* successiones hereditariae aestimabantur principia. Quo factum est, vt in *quibusdam* tantum *familiis*,

- a*) Paucissimae enim saeculi XIII. & XIV. renunciaciones (Catal.) nec non permulta illius temporis instrumenta nuptialia, in quibus nullius renunciacionis mentio est facta, indicant, multas eo tempore filias non renunciaciones exstirisse (§. 17.).
- b*) BOCRISIVS *de larua renunc. filiarum illustrium*, & *opinionem desuper licet communi detracta* §. 18.
- c*) BOCRISIVS l. c. §. 19.

miliis, filiabus portiones hereditariae vna cum fratribus adpenfae, atque in *quibusdam* quoque *iudiciis* secundum haec peruerse applicata *romana* principia sententiae latae sint (§. 30.). Interim hoc in paucissimis tantum familiis introductum, & a quibusdam tantum iudicibus ita iudicatum, neque *generalem* obseruantiam constituit, neque aliis conseruandi iuris *antiqui* studiosioribus gignere potuit praeiudicium. Ex quibus apparet, neque de antiqua, quod filiae illustres non renunciatae ad *auitam* hereditatem admissae sint, neque de noua saeculi XVI. & saeculi XVII; quod *ex regula* cum temporis illustrium filiae non renunciatae fratribus in *auitis* bonis diuidendis partem fecerint, constare obseruantia,

§. XXXIV.

FORTISSIMAE, QVOD TALIS ROMANVS SVCCEDENDI
ORDO SAECVLO XIII. INTER ILLVSTRES INTRO-
DVCTVS NON SIT, PRAESVMTIONES
ADSVNT.

Vidimus iam supra, ius *romanum* saeculo XII. & XIII. neque *expresse*, neque *tacite* in *Germania* receptum (§. 24.), immo variis *imperii constitutionibus* eo tempore iura *antiqua Germaniae* conseruata esse (§. 24. n. b. d. c.). Si igitur iure *romano* noui aliquid in materia successione filiarum illustrium, eo tempore contra ius *antiquum Germaniae* in-



introducendum esse volunt dissentientes, alia ratione, quam *publica auctoritate* hoc factum esse debet. Sed *duo* praecipui tantum, quibus illud factum esse potest, modi supersunt. Aut ipsi enim, aequitate legum *romanarum* in hac materia moti, sponte *antiqum* suum succedendi ordinem (§. 23.) abrogarunt *Illustres*; aut ab aliis persuasi hoc fecerunt (§. 26.). Quod ad *primum* modum attinet, *illustribus* illud iuris romani, de aequali filiarum in erciscunda paterna hereditate cum fratribus iure, principium (§. 27. a), familiarum conseruationi e diametro aduersum, nunquam arridere poterat, licet manifesta hanc iuris romani dispositionem niti aequitate concedere velimus. Quoad *secundum*, vero simile quoque non est, *Illustres*, aut *romanizantium* eo tempore iuris consultorum (§. 25.) aut aliorum persuasionibus inductos, iura sua *antiqua*, conseruationem familiarum maxime concernentia, cum aliis illarum splendori maxime detrimentosis permutasse. Quod ad *simplices* persuasiones attinet, eo minus credendum est, *Illustres* illis locum dedisse, cum quoad *qualificatas* illud nec vero simile sit. *Primo* enim iurisconsultorum, qui *ius romanum in germania*, tanquam *ius caesareum* valere debere docebant, persuasiones (§. 25.) nulla lege, sed erroneo tantum principio fultas, tanti eo tempore ponderis fuisse credendum non est, vt *illustribus* persuasionibus illis *romanas* leges obrudere potue-

potuerint. Quod etiam *secundo* exinde eo improbabilius fit, cum *imperii constitutionibus*, antiquis iuribus patrocinantibus (§. 24. not. b. & c.), introducendo huic iuri romano optimo iure se opponere poterant *Illustres*. De his autem omnibus nullibi aliquid memoriae proditum legitur; ex quibus omnibus vrgentissimae praesumptiones nasci mihi videntur, quod *iure romano* saeculo XIII. in hac illustrium successione nihil immutatum sit.

§. XXXV.

L ARGUMENTVM QVOD RENVNCIATIONES TANTVM
CAVELAE GRATIA INVENTAE FVERINT.

Finis igitur, quae pro refutanda, a me dicenda fuerunt, dissentientium hypothesi, quod nempe *iure romano* alius succedendi ordo in *familiis illustrium* introductus sit (§. 31.), ad eam me conuerto, quae pro vltius corroboranda mea de hisce renunciationibus sententia (§. 10. & 29.) adhuc faciunt (§. 31.). Et primo quidem, nullatenus hisce iuris principiis repugnare, credo *illustrium* cautiones. Sicuti enim iura referuari possunt, quae non referuata tamen competunt a), ita etiam iuri renunciari potest, quod, nul-

G

la

a) Eiusmodi referuationis exemplum affert *illust. G. L. ROEHMERVS, Praeceptor meus summe venerandus in principiis iuris canonici* §. 870.



la renunciatione facta, tamen non competit. Vtrumque est superflui aliquid, & ex noto illo iuris principio saluatur, *quod superflua non noceant.*

§. XXXVI.

II. ARGVMENTVM A SIMPLICI PRIMARVM RENVNCIATIONVM FORMA DESVMTVM.

Simplicissima antiquissimarum saeculi XIII. renunciationum forma, cum verboso illo saeculi XV. & XVI. renunciandi modo (vide exempla in *catalogo* allata) comparata palam facit, quod renunciationibus illis saeculi XIII. & sequentium temporum, *vero* iure hereditario se abdicare voluisse filias illustres, vix putandum sit. Quid enim successiuus illis de tempore ad tempus renunciationum incrementis opus fuisset, si firma eademque immutata semper a saeculo XIII. *Germanis* steterit sententia, quod *vero* iuri succedendi se renunciationibus illis abdicent filiae illustres? In aliam igitur huius renunciationum augmenti rationem inquirendum est, quae alia esse nequit, quam supra (§. 29.) a me prolata. Primo enim, quo renunciari coepit, tempore, tantum irruens in *Germaniam* ius *romanum* nondum incusserat metum; hinc simplices etiam, ad ius suum *antiquum* munientum, cautelas sufficere putabant. Cum autem tractu temporis iuris *romani* impetus in dies vires sumeret, maioris etiam momenti res esse incipiebat, & validio-



dioribus filiarum renunciaciones concipere clausulis e re sua esse iudicabant *illustres* (§. 29.). Ex quo deinde prolixus ille saeculi XVI. & sequentium temporum renunciandi modus est ortus (*App. Litt. B. C.* & exempla in *Catal.* allata).

§. XXXVII.

III. ARGUMENTVM A PAUCITATE SAECVLI XIII.
RENVNCIATIONVM DESVMTVM.

Si ius *romanum* saeculi XIII. idem filiabus ac filiis *illustrium* ius hereditarium tribuit, & si renunciaciones eo tempore ab *illustribus* in eum finem inuentae sunt, vt nouiter introductum succedendi ius renunciacionibus illis auferatur: tum facile credendum est, omnes eo tempore ad remedium illud, conseruationi familiarum accommodum, prouoluturos fuisse *illustres*. Cum autem perpauci *illustres* saeculo XIII. haec renunciaciones in familiis suis adhibuerint *a*), facile patet, renunciaciones, eo tempore vsitatas, non ita fructuosas habitas fuisse, vt illis *auita* filiabus adimeretur, atque filiis solis addiceretur hereditas. Quod si autem nullo *perfecto* iure se renunciacionibus haece abdicarunt filiae illustres, non alium in finem, quam solius cautelae gratia, illae inuentae sunt.

G 2

§. XXXVIII.

a) Compara hic paucissimas saeculi XIII. renunciaciones, cum renunciacionibus sequentium temporum (*Catal.*).



§. XXXVIII.

IV. ARGVMENTVM AB EO PETITVM, QVOD NVLLA
SAECVLO XIII. SE TALI RENVNCIATIONI OPPO-
SVERIT FILIA ILLVSTRIS.

Nemo ad renunciandum iuri *perfecto* cogi potest. Ergo nec filiae illustres saeculo XIII. ad renunciandum iuri suo hereditario, si iure *romano* aliquod adeptae sunt, adigi poterant. Deinde cum, *vero* iuri hereditario renunciare, res renuncianti maxime odiosa sit, ad illud tamen cogi non potuerint, ratio certe adesse debuisset, cur tam faciles ad renunciandum se praebuissent filiae illustres. Eiusmodi vero idonea ratio, quae filias in saeculo XIII. ad renunciandum mouerit, ostendi non potest. Alius igitur filiarum renunciationum saec. XIII. finis esse debuit. Renunciationum vero filiarum illustrium duplex esse solet finis (§. 11.), vt iure *perfecto* se vel abdicent vel *cautelae* tantum gratia renuncient. Cum ergo quoad *primum* probabile non sit, filias illustres saeculo XIII. illum intendisse, vt *secundum* intenderint, necesse est. Dices forsan, filias dotis collatione ad renunciandum esse perductas. Sed duplicem hic cape responsonem; primo enim dos, cum tota, cui renunciarunt, hereditate, nunquam ratione quantitatis in compensationem venire poterat, secundo etiam haec filiabus ex iure *Germanico* iam compete-
dos



dos, ita, vt detrimentosis eiusmodi renunciationibus ad illam consequendam haud indiguerint.

§. XXXIX.

V. ARGUMENTVM A COMPARATIONE HARVM RENUNCIATIONVM CVM PROPRIIS SAECVLI XIII. ET XIV. RENUNCIATIONIBVS DESVMTVM.


Quod *Illustres* saeculo XIII. *proprias* (§. II.) hisce clausulis renunciationes intendere noluerint vel ex eo quoque perspicitur, quia illas ad exemplum verarum eorum temporum renunciationum haud concinnauerint. Quis enim facile concedet, parentes, si, vt filiae suae *vero* iure hereditario se renunciationibus hisce abdicarent, voluerint, illis quoque formulas addituros fuisse, quas *proprias* eo tempore renunciationibus addere moris erat. Quod autem *illustres* illud omiserint, variae saeculi XIII. & XIV. *proprium* renunciationum formulae (docent a), quas nullibi in eorundem saeculorum renunciationibus filiarum illustrium adhibitas inueni.

G 3

§. XL.

a) Huc pertinent formulae inuenta in *der Frauen Agnes von Schoenberg Cession ihres Antheils an Münzenberg an Philippen und Wernern, Herrn zu Falckenstein*, de anno 1272. apud LVNIGIVM in *seinem Reichs-Archiv* P. 23. p. 1663.

Agnes - - profiteor, quod coram iudicio ejusdem (Franckenfurt) ciuitatis sententialiter euicerim, & com-



§. XL.

VI. ARGVMENTVM QVOD PROPRIA HEREDITATIS
FVTVRAE RENVNCIATIO SAECVLO XIII. INITA
OMNI PLANE FVNDAMENTO DESTITVTA
FVVISSET.

Filiabus *illustrium* iure *romano* saeculo XIII.
ius simul cum fratribus succedendi aut datum est,
aut non. Si prius, tunc, renunciationibus factis,
filiae

communis fuerit sententia pro me lata, quod hereditatem huiusmodi, qualis ex morte Ulrici de Münzenberg, fratris mei pia memoriae ad me deuoluta fuit, & deuolui videbatur, cuiusque vellem dare & conferre possem iuris ordine non transgresso: Ego deliberatione praehabita -- eandem hereditatem -- Philippo & Wernhero Fratribus de Falckenstein, sororis meae filiis *dedi & contuli liberaliter*, & promisi ipsis & eorum heredibus perpetuo possidendam, nullum mihi deinceps ius vendicans in eandem, insuper quoque dictae hereditati abrenuncio, per praesentes litteras absolute &c. &c.

Nec non formulae desumptae ex GODOFREDI & ALBERTI *Hobenloici* renunciatione in fauorem auunculorum suorum de anno 1298. apud SENCKENBERGIUM, in *select. iuris & historiae* T. 5. p. 358.

-- und verziehen -- aller der *Ansprach* und alles des *Rechtes*, das wir haben oder gebaben moegen an dem Gut zu B -- und geben euch mit gutem Willen und mit ganzen Treuen alles das Recht, das Wir an dem vorgehen Erbe und Gut gebabet haben oder haben sollen -- Huc



filiae hereditate futura vere se abdicarunt. Si posterius, tunc fratribus nonnisi *antiquum* ipsis iam competens succedendi ius (§. 23.) renunciationibus maioris securitatis gratia confirmarunt (§. 11.). Fin- gamus nunc iure romano verum succedendi ius quaesitum esse filiabus illustribus, *propriis* tamen il- lud renunciationibus saeculo XIII. tolli non poterat. Maxime enim ridiculum fuisset, si parentes, ad tol- lendum ius, filiabus suis iure *romano* nouissime de- mum quaesitum, remedio uti voluissent, in ipso iure *romano* reprobato a). Sed forte in iure *canonico*, eodem

Huc quoque facit formula renunciationis qua *VRSVLA* filia *HENRICI Comitis de Geroldseck* anno 1423. in fa- uorem sororis suae *ADELHEIDIS* hereditati paternae renunciat; *in der Geschichte des Hauses Geroldseck*. Docum. 53. p. 116. Quantocumque -- Dominus Henricus de Geroldseck -- ab hac luce migrauerit -- quod tunc -- Adelheidi similiter -- Henrici de Geroldseck -- filiae -- accidere competere & ad eam *cedere & deuolui debeat dominium* -- Henrici de Geroldseck, cum omnibus & singulis territoriis, pos- sessionibus, praediis, hominibus, castris, oppidis fortalitiis, villis, districtibus bannis, iudiciis, iurisdi- ctionibus, bonis, dominiis, vtilitatibus, iuribus, & pertinentiis ad ipsum dominium spectantibus & deuol- uendis quouis modo iuxta tenores litterarum &c. &c. &c.

- a) Ex pluribus sufficiant L. fin. ff. de suis & legit. here- ditibus.
L. fin. C. de pactis.



eodem fere, cum iure *romano*, tempore in Germaniam intrante *veris* hisce successionis futurae renunciationibus fundamentum quaeris; sed, quo minus hoc fieri possit, dua obstant momenta. Haec enim iuris *canonici* pacta renunciatiua per Cap. 2. de *pactis* in 6to *iureiurando* confirmata esse debent; quod tamen in *primis* renunciationibus per integrum saeculum factum non esse, illarum tenor euincit, (vid. *Catal. Num. 1. vsque ad Num. 8.* qui primam *iuramento* firmatam continet renunciationem). Deinde etiam addendum est, quod Liber VI. *Decretalium* in quo continetur illud Cap. 2. de *Pactis*, an. 1298. Romae demum publicatus sit *b*). Iam vero longe antiquioris originis sunt renunciationes filiarum illustrium (§. 15.), quod instrumentum allatum de 1214. indubitatum reddit. Ex quibus apparet, omni plane fundamento destitutas fuisse renunciationes illas saeculi XIII., quibus hereditati futurae *vere*; non autem renunciationes, quibus ad *maiozem* tantum *securitatem* iuri non competenti renunciatum est (§. 11.).

§. XLI.

b) *Illustr. G. L. BOEHMERVS in iure canonico Part. Gen. T. 6. §. 60.*

HEINECCIUS *in historia iuris L. 2. C. 3. §. 69.*



§. XLI.

VII. ARGUMENTVM A FORMVLIS IPSIS RENVN-
CIATIONVM PETITVM.

Accedit hucusque allatis aliud ab ipsis renuncia-
tionum formulis defunctum argumentum. Eiusmo-
di enim multas perlustrando, omnis acui diplomata
inueni, quae probant, filias illustres in illis *maioris*
tantum *securitatis* causa & ad euitandas in posterum
lites, non autem *donationis* gratia renunciaffe. Sic
eiusmodi formulas collectas inuenies infra in *Catalo-*
go Diplomatum No. 1. N. 2. β . No. 3. *b.* No. 5. γ . No.
7. *b.* No. 10. β . No. 15. β . γ . No. 17. *b.* No. 20. *b.* No.
25. *b.* No. 30. *b.* No. 33. *b.* No. 40. β . No. 46. *b.* No.
47. *b.* No. 48. *b.* No. 49. α . β . No. 50. *b.* No. 55. α .

§. XLII.

CONCLUSIO.

Absoluta sunt, quae pro instituti ratione tra-
denda habui. *Tertium* adhuc huic tractationi adice-
re constitueram caput, de *origine* nempe *diuersarum*
renunciationum specierum, uti e. g. *renunciationum*
iuratarum, *renunciationum clausulis reseruatius muni-*
tarum &c. &c. omnia quoque huic capiti destinata
argumenta collegeram, sed dissertationis fines hunc
H non



non patiebantur excursum. Praeterea *integrum* de hac illustri materia *tractatum* conscribere mecum constitui, cui cum aliis, quae de intricato hoc mihi adhuc dicenda fuissent, negotio, caput illud de *origine diuersarum renunciationis specierum* inferam. Ne autem omni plane de origine diuersarum renunciationum specierum noticia hic destitutus abeat lector, *catalogum* huic tractationi adieci, in quo, quando haec vel illa renunciationum species *primo* in usum venerit, annotaui.

FINIS.

Corrigenda.

pag. 11. loc. GETRAG leg. GEHAG pag. 13. lin. 2 post *maxime* lege *inter* pag. 13. lin. 3. post *successionem* inserte *introducendum*. pag. 32. lin. 7. lege *indigere* pag. 41. lin. 9. loc. §71. lege §7. pag. 47. lin. antep. pro *d* pone *et*.



CATA-



CATALOGUS.

Omnium a me collectarum renunciationum filiarum
illustrium.

Præter ea quæ §. 42. adduxi, adhuc alia sunt, quibus
ut *chronologicum* hic omnium a me collectarum renun-
ciationum *catalogum* subjungerem, motus sum;

Primo enim facillime sunt allegandæ renunciationum
tabulæ, & verba probantia ex illis desumenda, dum ipsa
tractatione non nisi illarum Numerum citandum habue-
rim.

Secundo etiam ex hoc catalogo vno quasi intuitu per-
spici potest, quomodo de tempore ad tempus renuncia-
tionum numerus occurrit, atque subinde novæ ortæ sint
clausulæ.

Tertio quoque eo maxime commotus hunc confeci
indicem, quo acutioris ingenii JCtis ex permultarum hic
a me collectarum renunciationum comparatione sua quo-
que ad materiam hancce explicandam eo facilius afferre
possent monita.



Nota.

Littera *a*) *Rubicam* diplomatis; Litt. *b*) Novas, quas subinde accessiones sunt nastæ renunciaciones, denotat; & Litt. *c*) Quis *editor* illius diplomatis sit indicat.

A. 1214.

No. 1. *a*) Ehestiftung zwischen Herzog Heinrichs des I. zu Lothringen und Brabant Prinzessin Mathilde und Lorenzo dem Sohne Grafens Wilhelm von Holland d. d. Nov. A. 1214.

b) *a*) Primam omnium eamque simplicissimam continet renunciacionem. vide App. Doc. Littera A. *β*) Prima filia ducalis renunciatio.

c) Lünig Cod. Diplom. Germ. T. 2. p. 1090.

A. 1227.

No. 2. *a*) Renociation faite par Simon Comte de Sarbruche, au profit de Mathien Duc de Lorraine, à tous Droits de Succession paternelle & maternelle, qui pouvoient estre pretendus par sa femme soeur du dit Sieur Duc, le 20. Septembr. 1227.

b) *a*) Prima renunciatio quæ separatim facta est; *β*) Maritus renunciat omni *juri*, quod vxor. - - in hereditate - - tam ex parte patris - - sibi proveniente habebat, *si quod habebat*,

c) Calmet histoire de Lorraine T. 2. Preuves p. 438.

A. 1229.

No. 3. *a*) Aelix Comtesse de Kirbourg, quitte le Duc Mathien son frere de toutes ses pretensions à l'heritage du Duché. (de Lorraine.)

b) - - quod ego - - - fratri meo Matheo Duci - - & heredibus suis omnem hereditatem tam ex parte patris quam ex parte matris mihi proveniente, sine reclamacione aliqua & heredum meorum acquittavi.

c) Cal-



c) Calmet histoire de Lorraine Tom. 2. Preuves
p. 441.

No. 4. a) Contractus matrimonialis inter Canonem A. 1236.
filium Domini Ulrici de Minzenberc & Adelheydim filiam
Wilhelmi comitis de Duingen.

b) α) Prima filiae Comitum renunc. β) Tertii fide
data & sub cautione iuratoria nec non sub obligatione ad
obstadium fore promittunt ut filia renunciet. γ) Alio-
quin intrabunt Wormatiam inde non egressuri, nisi filia
mea suae renunciauerit hereditati - -

c) Senckenbergius in Medit. Jur. Fasc. 2. M. 7. §. 2.

No. 5. a) Bertholdus Episcopus Bambergensis de Re- A. 1283.
nunciacione in Bona Burggraviorum ab Henrico Comite
de Castel uxoreque ejus facta, doteque eis dicta, testi-
monium perhibet.

b) α) Prima filiae Burgravii renunciatio. β) Epi-
scopus de ren. facta testimonium praebet. γ) - - quod
eum - - omni actioni & juri seu parti hereditariae, quae
sibi in universis hominibus - - - *in aliquo competebant*,

c) Senckenberg, Select. Juris & Histor. T. 3. p. 356.

No. 6. a) Berchtoldus Comes de Henneberg cum A. 1299.
uxore sua Adelheydi filia Heinrici Landgr. Hassiae renun-
ciant.

b) Prima filiae Landgravii renunciatio.

c) Senckenberg, Meditar. III. Fasc. 4. p. 657.

No. 7. a) Rudolphus Comes Palat. Rhen. & Dux A. 1309.
Bavar. de renunciacione Gerlaci Nassoiici & Agnesae ex Do-
mo Palatina testimonium praebet.

b) Verzeihen auf solchem Widume, Erbteil und ande-
re Sache, die sie an Landgraf Otten zu sprechen hetten, und
sinne Erben.

- c) Senckenberg, Med. 3. Fasc. 4. p. 658.
- A. 1312. No. 8. a) Rupertus Comes Irfutus & Susanna uxōr ejus, hereditari paternæ & maternæ renunciant.
 b) Primum juramentum accedit.
 c) Senckenberg, de Success. filiar. in regna & princ. in Adj. N. 4. p. 30.
- A. 1312. No. 9. a) Rupertus Comes Irfutus Susannam uxorem suam eo inducere promittit, ut intra annum bonis paternis & maternis renunciet.
 c) Senckenb. de succ. filiar. in regnis & Ppatibus. Adj. n. 3. p. 30.
- A. 1313. No. 10. a) Arroisus de Bruberg cum uxore sua Gisela sorore Philippi nobilis de Falckenstein, bonis Philippi de Falckenstein renunciant.
 b) α) Prima filiae nobilis renunciatio. β) Omni actioni & impeditiōni renunciatur.
 c) Gudenus Codex Diplomat. T. 3. p. 87.
